



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

10. De responsionibus per capitulum, vasallos et civitates Wartbergi actis
et altercationibus ibidem commissis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

bornensis deberet circa ecclesiam Coloniensem per centum annos indivisa remanere, de quo dominus Coloniensis pretactus a capitulo literam patentem habente¹⁾, sigillo capituli sigillatam, sibi traditam et assignatam, referebatur, prout hoc extensius dictis literis continetur. Demum premissis subiungebat, Beatissimum dominum nostrum, Martinum quintum, papam, istis attentis proprio motu sibi et ecclesie Coloniensi ecclesiam Paderbornensem incorporasse et univisse, ut simul iuncte maiora reciperent incrementa et se efficacius tueri possent ex adversis, eo non instante, nec hec petente. Sic hec esse facta et patrata. Premissa multiplici²⁾ verborum coloribus fulciendo, prenomatos convocatos pro intencione domini consequenda incitando, ut sue voluntati promptius complacerent, petens tunc in presentia dicti domini Coloniensis et multorum suorum utriusque ecclesie bene quingentorum hominum, ut pretacti domini de capitulo ecclesie Paderbornensis, vasalli, proconsules et consules civitatum et opidorum ecclesie Paderbornensis ipsum suum dominum Theodericum, archiepiscopum Coloniensem, iuxta suarum litterarum apostolicarum³⁾ in eorum verum dominum ut episcopum Coloniensem reciperent, sua bona feudalia, emphitheotica, allodialia et alia, quocunque nomine fungerentur, ab eo acciperent et tenerent, sibi resistenciam in hiis non facerent. Hoc erga quemlibet eorum coniunctim et separatim vellet iugiter pre oculis habere et promereri, de prenarratis, ita ut prefertur, ab illis ibi unitis sine dilatione affectans responsum.

10. Responsuri domini de capitulo, vasalli, proconsules et consules ecclesie, civitatum et opidorum ecclesie

¹⁾ Wohl ein Schreibfehler statt haberet.

²⁾ Schreibfehler für multiplicibus. ³⁾ scil. „tenorem.“

Paderbornensis ad domini Coloniensis eis proposita et petita, ut prescribuntur, tunc domini de capitulo seorsum, vasalli seorsum et civitatum et opidorum amici seorsum consilia inierunt. Tunc statim dictus dominus per fidelium manum ad se postulavit omnes suos fideles et subditos, ut a consilio capituli recederent et prope ipsum remanerent, quod domini de capitulo ibi existentes, ne deterius eis contigeret, permiserunt et eosdem licentiarunt. Erant tunc temporis ibi nomine capituli missi: Dominus Henricus de Haxthusen, decanus, dominus Henricus de Driburg, dominus Didericus Lappe, dominus Didericus de Engelsheym, omnes canonici ecclesie Paderbornensis, quibus ob petitionem capituli erant associati: Reverendus pater, dominus Johannes de Brachusen, abbas sanctorum Petri et Pauli Paderbornensis, dominus Johannes Wallink, decretorum doctor, auditor causarum sacri palatii apostolici, Swederus de Busche, frater prepositi Paderbornensis, Johannes de Haxthusen, frater decani Paderbornensis, Ludolfus Snarman in Paderborn, Albertus de Roden in Wartberg, Conradus de Haddenberg in Brakele, Hermanus Andree in Borgentrike, proconsules. Qui omnes a predictis dominis de capitulo ad revocationem domini recesserunt, exceptis Swedero et Johanne, fratribus prepositi et decani, qui minas domini, necnon malum inde proventurum non formidarunt, sed liberaliter in prosperis et adversis, asseruerunt, ipsos velle cum capitulo usque ad sanguinis effusionem et interitum remanere. Sic isti quatuor domini de capitulo nominati et duo armigeri prenominati tum suum consilium celebrarunt et unanimiter concordarunt in responsionem statim enarrandam, convocantes circa se vasallos, proconsules et consules civitatum et opidorum prefate ecclesie, responsionem suam

faciendam eis manifestans.¹⁾ Qui cum dominis prelibatis, ut infra patebit, concordare noluerunt. Sic domino sepe petente et requirente dominorum responso²⁾, in medium omnium hominum maximo tento silentio ipsi processerunt; domino nostro cum multis nobilibus, abbatibus, prelatibus, militibus, militaribus, proconsulibus et populis personaliter constitutis seriose et pompose se exhibente, dicti sex, canonici quatuor et duo armigeri accesserunt, ubi dictus dominus Henricus, decanus, sine ulla formidine alta et intelligibili vulgari sermone ad preexposita sub epilogo³⁾ concepta respondebat: „Henrice Stapel, sicut pro parte reverendissimi domini „nostri Theoderici, archiepiscopi Coloniensis, hic late „et diffuse proposuisti et petivisti, ita epiligando materiam breviter nomine dominorum meorum, prepositi „et capituli ecclesie Paderbornensis, respondeo et dico, „ecclesiam Paderbornensem per clare memorie Serenissimum tunc imperatorem Romanum, beatum Karolum, „ante sexingentos annos pro proprio episcopatu esse „fundatam et diversis bonis mobilibus et immobilibus habunde dotatam et nunquam interim iterum „esse destitutam, deterioratam et destructam, quin habunde pro proprii pastoris sustentatione sufficeret. „Nec unquam, ut tu, Henrice, dicis, nomine capituli esse „inceptum et practicum, ut ecclesia Paderbornensis „ad ecclesiam Coloniensem incorporaretur et uniretur; „et si tale quid per aliquos attemptatum fuerit, quod „hoc sit factum sine ipsorum iussu et consensu ex „causa avaritie et lucri proprii, [ut infra de illis diversis „scriptis, copiis et literis conscriptis continetur.] Et „ut tu dixisti, quod dominus habeat literas sigillo capi-

¹⁾ Schreibfehler statt manifestantes. ²⁾ Schreibfehler für responsum.

³⁾ Statt epilogo.

„tuli sigillatas, quod ad centum annos ecclesia Paderbornensis debeat post mortem domini circa ecclesiam Coloniensem remanere, hoc capitulum non cedit, nec est aliquis in capitulo, cui de talibus constet;¹⁾ et si sigillum aliquod haberet, non cedunt, esse suum, aut furtivum aut adulternum,²⁾ de quibus examinis affectarent experimentum, et tale sigillum oculis demonstrari. Et sicut nomine domini petitum est, ipsum nomine literarum suarum unionis et incorporationis apostolicarum admitti, [prout supra est descriptum,] talis petitio non est exaudibilis, cum inspecto iuramento episcopi et canonicorum nec sibi id petere, nec canonicis optemperare liceat, sed potius contradicere. Nec litere tales, taliter, ut supra est narratum, impetrate, sortiri debent effectum preoptatum, cum tacita veritate et suggesta falcite extant impetrate, sic quod domini de capitulo nullo umquam tempore in domini literas, unionem et petitionem intendunt consentire, nisi de iure vel potentia ad hoc fuerint compulsi et inducti. Tunc dominus per se loquebatur et dixit, quod nullo modo vellet, nec desideraret illa, que sibi de iure in premissis non deberentur, nec illa habere vellet, dicens, hoc cognitioni milicie, proconsulum et universitatis ecclesie Paderbornensis relinqui, et se eorum cognitioni submisit. Dominus decanus respondit, sibi optime placere, quod alia non desideraret, quam que de iure sibi deberentur, sed cognitionem ad manus illorum, ut preferatur, ad cognoscendum ponere, contradixit ex eo, quod se iam suspectos reddidissent tempore negociacionis, cum de Arnsberg ad capitulum missi erant, ubi clare protestabantur tunc missi, quod vellent erga dominum et ius suum remanere, et quod aliqui eorum

¹⁾ „Offenbar, bekannt sein“. (Dieffenbach.) ²⁾ „Gefälcht.“ (du Cange.)

a domino receperint bona, aliqui literas, alii equos, alii pecuniam et magnas promissiones pro bonorum et eorum voluntatis consecutione, sic quod ipsi dominis suis totaliter essent suspecti. Etiam eis hoc non licuit, cum iuxta episcoporum iuramentum in discordiis dominus promisit, stare velle assercioni decani, priorum et capituli, a quo sic contravenisset et a iuratis recessisset. Tunc dominus dixit: „Vultis tunc esse iudices „et pars in propria causa?“ Tunc decanus dixit: „Sic „imo! Sic promisistis, et si tunc contradixissetis, recepti „per capitulum non fuissetis, quod tunc vobis vergisset¹⁾ „in gwerris domini Montensis et domini Wilhelmi Paderbornensis in magnum detrimentum.“ Sic quod illis altercationibus habitis nobilis dominus Eliche, comes de Liningen, dixit: „Domine gratiose, dimittatis illa et „responsum militie audiatis in premissis.“ Tunc dominus requisivit responsum a militia, qui tunc petiverunt dominum Johannem de Ffalkenberg militem, ut eorum responsionem domino propalaret. Sic dictus Stapel, timens, ne diceret, ut isti voluerint decano adiuncti,²⁾ incepit dicere: „Domine gratiose, ex quo „ius vestrum ad manus militie et civium ecclesie „Paderbornensis posuistis et nichil, nisi quod de iure „vobis debetur, desideratis iuxta gratie vestre concesse³⁾ „tenorem, tunc omnes vasalli, milites et militares excepto solum Johanne de Haxthusen volunt vestris „petitionibus acquiescere;“ licet ultra XXX de militia in talem responsionem non consenserunt et maiores propter timorem tacuerunt. Responsione tali sic facta accesserunt proconsules, consules civitatum et opidorum

¹⁾ vergere „ausſchlagen“.

²⁾ Schreibfehler statt „adiungi“.

³⁾ zu ergänzen: „incorporacionis“.

amici et dixerunt, quod tunc tali posse non essent ibidem missi, quod ad domini proposita et petita possent respondere, sed libenter vellent illa, que audierant et retinere possent, suis amicis notificare et domino in scriptis dirigere eorum responsionem. De quo dominus minime contentus dixit, quod recedere inde non vellet, nisi responsum ab ipsis obtineret. Sic civitatum amici missi ad propria remearunt et simul convenerunt super responsione facienda, concordantes et taliter respondentes, quod domino in omnibus, ubi possent, eorum iuramento hereditario fidelitatis salvo et prestito obedire et assistere [vellent,¹⁾] sed quidquam contra eorum dominos de capitulo attemperare, eis non licere; sperarent, quod gratia sua ultra hec et contra illa ab eis non vellet postulare iuvamen. Tunc dominus dixit, quod illa, que cum honore et iure facere non possent, de illis libenter super sedere vellet, nec illa ab eis postulare intenderet. Sic tunc omnibus illis auditis, certi de militia et aliqui de civitatum amicis inceperunt, laborare et se interponere, ut dominum predictum et capitulum possent amicabiliter complanare. Ubi dominus postulavit a capitulo LX milia florenorum, referens, illos nomine ecclesie Paderbornensis expendisse. Ubi domini de capitulo dixerunt, quando ipse esset eorum verus pastor, dominus et administrator, sic ipse iuxta tenorem sui iuramenti debita ecclesie, et non ipsi tenerentur iuxta normam, ut in voluntate creditorum posset obtinere, persolvere.

Sic multos tractatus habuerunt allegando et contradicendo. Quod²⁾ domini de capitulo recesserunt, se pro possibilitate sibi resistendo preparantes, magnas expensas in eorum castro Lipspringe incipientes sub eorum magno

¹⁾ fehlt im Original. ²⁾ in der Bedeutung „deshalb“.

dampno et gravamine, sic quod circa mille florenos pre
formidine consumpserunt, ultra centum equos et totidem
homines ibi secum pabulando, necessaria eis ministrando.

11. Deductis omnibus premissis ad talem finem, ut est
premonstratum, tunc domini, prepositus, decanus et
capitulum ecclesie Paderbornensis de tunc per domi-
num Coloniensem ordinatis et dispositis elicere aliud
non poterant, quam quod ipsos cum violenta manu
armata invadere voluisset. Sic confisi de iusticia et
innocentia pre oculis habuerunt dictum prophete David,
ubi inquit: „Non prevalebit¹⁾ bonis, qui ambulant in
„innocentia, beatus homo, qui sperat in te.“ (Psalmus 83,
„Quam dilecta.“) „Sic sperantes in deum, qui malignantes
„exterminabit,“ (Psalmus 36, „Noli emulari.“) se disposu-
erunt ad repellendam vim vi et iniustis impetitionibus
cum iustitia obviare. Et tunc statim dominum Ottonem,
canonicum, et Ravenonem de Ripen, beneficiatum ecclesie
eiusdem, ad Serenissimum principem Sigismundum,
Romanorum imperatorem, tunc in Nurenberg consti-
tutum destinarunt, instructos, de cuius preiudicio etenim
agebatur, auxilium querendo. Qui ibidem circa CCC
florenos Renenses consumpserunt et penitus nichil re-
portarunt. Miserunt tunc ad reverendissimum domi-
num Conradum, natum comitem de Rinecke, archiepis-
copum Moguntinum, ipsum in adiutorium invocando;
qui nichil iuvare poterat ex eo, quod suum consensum
sine sui capituli consensu domino nostro Coloniensi
adhibuit ad talem detestabilem incorporationem et uni-
onem sepe nominatam impetrandam. Qui tunc statim
1434 in anno tunc sequenti M^oCCCCXXXIII^o viam carnis
universe de mense Augusti intravit. Cui statim tunc

¹⁾ unrichtig citirt statt privabit.